

nigro, lineis et maculis albidis, alba linea cingente caput et dorsum fere usque ad pelvem.

Gattung *Bufo* Laurenti.

11. *Bufo margaritifer*. Daudin?

*Bufo nasutus*. Schneider?

Nova species?

Unicum e Bolivia reportatum individuum pluribus differt a *Bufone margaritifero*, qualis in herpetologia generali ab autoribus Franco-gallis describitur. Nullo modo visibile est tympanum et pedes postici aliter sunt palmati. Quum vero ceteri characteres omnino quadrent cum *Bufone margaritifero*, qui verus *Proteus* esse videtur inter suos, praesertim cum eo statu, ad quem *Bufonem nasutum*, Schneider, referunt, novo nomine herpetologiam onerare nolimus.

12. *Bufo pleuropterus*. Nov. spec.

*Bufo* capite brevi, ante oculos admodum angusto; oculis maxime prominentibus; margine supraorbitali paullulum elata et supra parotidem et scapulam quasi continuata in plicam cutaneam, quae in femora et fere usque ad genua extenditur; tympano parvo; parotide perparva, subtrigona; pedibus posticis palmatis usque ad phalangem extremam; membrana natatoria limboque externo digiti quinti denticulatis; tota corporis superficie granulosa, granulis spiniformibus in marginibus.

13. *Bufo veraguensis*. Nov. spec.

*Bufo* crista ossea marginem supraorbitalem cingente indeque oblique ad occiput ducta; fronte rostroque excavatis; parotidibus oblongis, magnis; tympano non visibili; digitis anticis gracilibus, posticis palmatis, limbo cutaneo in margine externa digiti quinti; superficie dorsali et ventrali tuberculata; serie tuberculorum maiorum in finibus dorsi et laterum; colore supra griseo, maculis et striis fusconigris, infra fulvo-griseo.

14. *Bufo simus*. Nov. spec.

*Bufo* capite brevi, alto; oculis modice protuberantibus; lingua oblonga, postice rotundata, dimidio et quod excurrit libera; aperturis tubarum Eustachii absconditis; tympano non visibili; parotide irre-